

tatione sufficiat, nec ipse potius *ἀδυναμίαν* suam contra argumen-  
tandi prodat, lectori cordato ex antecedentibus iudicandum re-  
linquo.

§. 2. Sed videamus quomodo de stellis novis ipse philosophetur  
Watsonius, sic ergò ait pag. 527. *nullas stellarum novarum genera-  
tiones observatas, nisi per Sophisma & fallaciam visus.* Hic scire velim  
quis fuerit ille, partim cæcus, partim ultra visus naturam perspicax,  
qui ipsam generationem rerum videri à se jactare, & ubi non viderit,  
eos qui esse talia à se visa dicant, Sophistas vocare audeat? Sed quo id  
sensu intelligat percipere fortasse poterimus ex pag. 539. ubi ait: *per  
generationem putari productas* [non ab omnibus, sed Tycho & alii ex  
conglobatione viæ lacteæ aut alius cœlestis materiæ ortas conjectati  
sunt.] Pergit & quidem ex Borello: *Nova stellæ Anno 1572. in Cassio-  
pæa, & 1601. in Cygno, 1604. in Sagittario, non ope Telescopii, sed aliàs  
observatæ, rarò observari potuerunt,* [verum hoc, sed audite rationem]  
*quia, inquit, revolutio earum longa.* Quæ revolutio? cùm in eodem  
loco & puncto constantissimè ultra annum perseverârint. De hoc  
Borellus viderit, dicat fortasse Watsonius, quippe cujus verba alleget  
non sua, sed scire debebat privilegium hoc, ut Mathematici [aut cu-  
juscunque scriptoris] placita, pro te alleges quando vis, respuas, quan-  
do vis; non esse concedendum nisi iis, qui delectum eorum habere  
possint. Quod cùm nemo possit, nisi ii, qui fundamenta eorum ritè  
intelligunt, ex eorum verò numero Watsonium non esse, ex hoc  
ipsius tractatu satis perspiciatur, autor ei fuerim, ut plurimis alienis  
ornari desinat, ne corvi fabulam apud Æsopum ludere cogatur. Sed  
ad rem; Quæsierim ex autore hujus sententiæ, num forte hoc revo-  
lutionem vocet, quod nonnulli putant in cœlo [motu tamen nobis  
non visibili, adeoque, ut ego cum Mose loquor, in aquis cœlestibus,  
aut cum Astronomis in cœlo octavo peragi solito] nunc descendere,  
ut videri possint, nunc ascendere, ut apparere desinant. Hoc si vo-  
luit Watsonius, vel quem pro se citat Borellus, verbis quæ sequun-  
tur, & *devenerunt,* inquit, *ad imum sui cœli* pag. 18. *Borelli de Telesco-  
pio,* non improbabilis mihi quidem videtur in se sententia illius, ab-  
usivè autem loqui, qui ita loquitur, existimo. Cùm revolutio pro-  
prie esse non possit in motu, qui fit secundùm lineam rectam, sed se-  
cundùm circularem: Addit Watsonius, *Cùm primum observatæ fuerunt  
istæ stellæ, & deinde post aliquot annos, tanta fuit de illis fama, clamitarunt*  
Astro-